

HERMANN CONRING

EPIGRAMMATA

(218 vers)

Le texte proposé ici est celui de l'édition parue chez Georgius Wolfgang Hammius, à Helmstädt, en 1708.

HERMANNI CONRINGII EPIGRAMMATA HACTENUS INEDITA
IN IMAGINES A SE COLLECTAS.

EPIGRAMMA TITULO HUIUS VOLUMINIS SUBSCRIPTUM.

E_1	v.1	Cepit amore sui me doctae frontis imago
	2	jam puerum, et studio est undique lecta meo.
	3	Culta mihi a teneris sapientia, munus inane,
	4	hoc etiam imposuit relligione pia.
	5	Frisica prima rudi collectio foeda colore
	6	abjecta est : Batavus mox meliora dedit.
	7	Divitias Batavi corrumpit flamma laboris,
	8	addita multa iterum : pars sed adusta manet.
	9	Inde senex tandem confeci hoc grande volumen,
	10	ipseque jam magnis addor imaginibus.
	11	Accedent alii, donec mihi vita superstes,
	12	non nisi morte perit sic puerilis amor.

IN IMAGINEM AARONIS, IMAGINI MOSIS JUNCTAM.

E_2 v.1 Non, fateor, nostro memorantur scripta labore,
 2 ut quondam, hic fratris me sibi jungit amor.
 3 Copula forte etiam officii, quo functus uterque,
 4 amborum effigies exigit esse simul.

IN IMAGINEM ARISTOTELIS.

E_3 v.1 Quantum celsa inter praestat virgulta cupressus,
 2 aethereasque inter lucet Apollo faces :
 3 omnibus hic tantum doctis praeeminet unus,
 4 omnigenae pariter duxque paterque scholae.

IN EJUSDEM IMAGINEM INEPTI DEPICTAM.

E_4 v.1 Qualem mi vultum, pictor vanissime, fingis ?
 2 Frons caperata adeo conveniatne sopho ?
 3 Falleris et fallis : felix ego lumine mentis
 4 doctrinaeque, ingens gloria parta mihi est.
 5 Nulla tamen morum asperitas, non foeda lacerna,
 6 non caput intonsum aut barba caprina fuit.
 7 Annulus ornavit sapientem et splendida vestis,
 8 congressusque frequens horriditate procul,
 9 Cecropis arx talem est venerata atque aula Philippi,
 10 palla decens Phoebos et pulchra Minerva nitet.

IN EJUSDEM EFFIGIEM.

E_5 v.1 Te sequor Emathiis ; doctor producte Stagiris,
 2 si qua mea est, merito gloria parta tuo est.

IN IMAGINEM ADRIANI VI. PAPAE.

E_6 v.1 Pontificalis apex summos concessit honores,
 2 doctores inter theiologus sedeo hic.

IN IMAGINEM RUDOLPHI AGRICOLAE.

E_7 v.1 Quam fero libertas reddebat sola celebrem,
 2 primus ego Frisiae nomen ab arte dedi.
 3 Primus ego Ausoniae pariter Graiaequae Minervae
 4 lampada praeluxi, gens Theotisca, tibi.
 5 Primus ego ratione nova Dialectica prompsi,
 6 et jam non simplex palma parata fuit.
 7 Invida sed medio in cursu me fata tulerunt,
 8 quo maneat priscis gloria major avis.

IN IMAGINEM MARCI AGRIPPAE.

E_8 v.1 Quem Marcum et qualem, Rembranti, fingis Agrippam ?
 2 Non Marcus quisquam aut talis Agrippa fuit.

3 Te Corneli unum Germania novit Agrippam :
4 philosophum dicam ? Non queo : dico tamen.

IN IMAGINEM GEORGII AGRICOLAE.

E_9 v.1 Quidquid Graiugenum, quidquid Romana vetustas
2 metallicae noscit rei ;
3 pondera, mensuras, secretaque quaeque medendi,
4 ac Misnidum vices soli,
5 cuncta haec et multo plura scis, magne Georgi,
6 hoc unus omne tu doces :
7 lingua par Columellae ipsi, facundior ipso :
8 o grande saeculi decus !

IN IMAGINEM ALEXANDRI VII. PAPAE.

E_10 v.1 Pontificalis apex alia me sede locavit,
2 vati huic concessit Musa benigna locum.
3 Illa tuae multum est impar, Urbane, camenae :
4 ast Papas reliquos carmine vinco tamen.

IN IMAGINEM AUGUSTI, DUCIS BRUNSV. ET LUNEB.

E_11 v.1 Bibliotheca ingens et multa volumina scripta
2 te quoque Guelphiadem huic inseruere gregi.

IN IMAGINEM BACONIS, BARONIS DE VERULAMIO.

E_12 v.1 Magnus honore tuis, sed major Baco fuisti
2 ingenio atque ausis : ars tibi sola deest.

IN IMAGINEM C. BARONII.

E_13 v.1 Ipsam Pontifici sacram servire coegi
2 historiam, vero multa querente licet.
3 Purpurea merito victor hinc veste triumpho,
4 ipsa etiam triplex prompta corona fuit.
5 Vana haec : certa tamen mihi gloria parta labore,
6 annalesque nisi sole cadente cadent.

IN IMAGINEM JOAN. BUXTORFII.

E_14 v.1 Westphala me genuit tellus et Rauraca fovit
2 orbe omni celebrem sed sacra lingua facit.

IN IMAGINEM JULII CASSERII, ANATOMICI.

E_15 v.1 Humanae fabricae quo cuncta recondita noscas
2 industria admirabili.
3 Non homines solum, sexcenta animalia, Juli,
4 docta secas novacula.

5 Praeter visa tamen tibi multa, hem quanta supersunt
6 noscenda ne sero quidem !

IN IMAGINEM CICERONIS.

E_16 v.1 Ingenio, eloquio, doctrina, magnus honore,
2 exitio perii, libera Roma, tuo.

IN IMAGINEM THEODORI CORNHARTI.

E_17 v.1 Sculptorem, nullos alios agnosco magistros,
2 non Latii didici verba sonare puer.
3 Non ullis opibus, sed mentis acumine praestans
4 ingenio peperit laudem odiumque mihi.
5 Primus ego institui patriam exornare loquelam,
6 et docui mores, ore, Batave, tuo.
7 Audenti calamis et voce lacescere doctos
8 turba mihi plaudit, sed sacer ordo fremit.
9 Hinc patrum jussu in claram protractus arenam,
10 palmam etiam dubiam feci, Hadriane, tibi.
11 Ipsum Lipsiadem tandem convellere coepi,
12 non sculpta aera mihi, penna liberque placent.

IN IMAGINEM IPSIUS CONRINGII JO. STRAUCHII EPIGRAMMATE ORNATAM.

E_18 v.1 Me talem ac tantum pictor facit atque poeta,
2 artificum quid non sumit uterque sibi.

IN IMAGINEM M. ANTONII DE DOMINIS.

E_19 v.1 Praefero dum patriae verum sacraeque tiarae,
2 et regnum oppugno, Pseudomonarcha, tuum.
3 Vix alius promens quae tela vibravit in hostem,
4 sunt mea grata piis omnia, grata Deo.
5 Ostentata tamen rursus dona aurea Romae
6 purpureae vestes dapsiliorque cibus.
7 Subdere fecerunt victo mea colla tyranno
8 mentique adversum lingua coacta loqui.
9 Grande nefas ! Ausus licitum tamen esse putare,
10 in vitia ut vitium deteriora ruit.
11 Ast male ficta brevi me justa in vincula raptant,
12 extinctumque sacer diruit igne rogos.
13 Disce meo exemplo, qui stas, persistere firme :
14 ne possint Papae plaudere, scripta cavent.

IN IMAGINEM EPICURI.

E_20 v.1 Contemptus divum laudataque blanda voluptas
2 me carum fecit, ventris alumne, tibi.
3 Quin sapiens credor multis prae millibus unus :
4 horrida sed virtus est inimica mihi.

IN IMAGINEM SIMONIS EPISCOPII.

E_21 v.1 Ingenio et calamo sternis feliciter hostes
 2 Dortiadam jugulans horrida scita patrum.
 3 Arma placent, verbum ratioque : hinc saecula quamvis
 4 prima per exiguo sunt in honore tibi.
 5 Plurima libertas menti : fortassis at (eheu)
 6 Sarmatica interdum blanda venena nocent.

IN IMAGINEM MATTHIAE FLACII.

E_22 v.1 Impavido atque indefesso doctrina Lutheri
 2 exitium in Papae, te duce, firma stetit.
 3 Infinita tuo hinc sunt perlustrata labore,
 4 quicquid et arcani Bibliotheca tenet.
 5 Turbavit tua multa ipsam centuria Romam,
 6 atque improviso tradita teste fides.
 7 Docta aperit, claudunt quae sacra volumina, clavis,
 8 Par meritis dabitur gratia nulla tuis.
 9 Verum, heu ! Quos passa est ecclesia nostra tumultus,
 10 dum zelo indulges vincula laxa nimis !
 11 Non tamen hisce etiam superantur commoda damnis,
 12 mutavere diu haec, altera at ista manent.

IN IMAGINEM HUGONIS GROTII.

E_23 v.1 Ingenio, studio, meritis, pietate secundus
 2 nulli ; fortunae sed pila lusa tamen.
 3 Ancipitique diu censorum laude notatus,
 4 omnibus hoc blando Grotius ore fuit.

IN IMAGINEM (lacune) INTER DEMOCRITUM ET HERACLITUM DEPICTI.

E_24 v.1 Binas en fatuum personas dispare vultu,
 2 Impense gestit prima, secunda dolet.
 3 Laetitiae quaenam causa est ? Cur altera maeret ?
 4 (Lacune) nunc quod splendeat hocce loco ?
 5 Nempe quasi socio sibi plaudit prima recepto :
 6 altera praelatum sed sibi frendet eum.
 7 Forte tamen medius sapit inter utrumque locatus,
 8 ceu vitiis virtus septa duobus agit.
 9 O utinam simul haud prodat comitatus euntem !
 10 Suspectum saltim hoc redditur ingenium.

IN IMAGINEM HIERONYMI EX PARTE COMBUSTAM.

E_25 v.1 Talem Durerus finxit Stridonis alumnum :
 2 artificis tanti est igne sed usta manus.

IN IMAGINEM HEVAULIEGEN TOT MEURS.

E_26 v.1 Femina sum, doctrinae expers, deformis, inopsque
 2 unica sed laus est, abstinuisse cibis.

3 Sex lustra, atque ultra caelesti rore foveri
 4 credita, vesci (eheu) denique visa fui.
 5 Scinditur incertum nunc hinc sententia vulgi,
 6 pars simulati aliquid, pleraque vera putant.
 7 Ficta sient : orbi potui si imponere, nomen
 8 perpetuum mereor calliditate tamen.
 9 Discite mortales famae diffidere cauti,
 10 fallere vos mulier longa diesque potest.

IN IMAGINEM JACOBI REGIS ANGLIAE.

E_27 v.1 Rex quamvis, calamo tibi gloria parta perennis,
 2 sis igitur docti dux, Iacobe, chori.

IN IMAGINEM MAXIMILIANI ZUM JUNGEN.

E_28 v.1 Nulla Jungiades doctrina inclaruit orbi,
 2 spectatur tamen hic : nam Philomusus erat.

IN IMAGINEM LUTHERI CUM CUCULLO MONASTICO.

E_29 v.1 Prostrasti Papam frustra remorante cucullo ;
 2 libera quid faciat, die Luthere, manus ?

IN IMAGINEM PHILIPPI MELANCHTHONIS.

E_30 v.1 Dum veri, ast sacrae pariter sum pacis amator,
 2 duritiem et nostri mollio saepe Ducis :
 3 quamvis structa meo Sophiae sint templa labore,
 4 inque Dei excubiis pervigil usque steti :
 5 Papae hostis, contemptor opum, contemptor honorum,
 6 et coram infesto Caesare scriba sacer :
 7 ipsorum mihi rara tamen data gratia fratrum,
 8 mortuus et vivus plurima iniqua fero.
 9 Quam grave, vah ! Belli moderari pace rigorem,
 10 quam grave, zelotis posse placere probum !

IN IMAGINEM MOLINAEI.

E_31 v.1 Inter Theiologos hic te Molinae locavi,
 2 olim alii inseruit inclita Leida gregi.
 3 Quid calamo valeas sacro, monumenta loquuntur,
 4 "papatu novitas" una docere potest.
 5 Arminii sed dum dementia scita refellis,
 6 Calvinii plenum fata perire sinunt.

IN IMAGINEM MOSIS NIGRA FACIE DEPICTI.

E_32 v.1 Insigni jam tum placuisti pusio forma,
 2 et patri et matri non fuit iste color.
 3 Candidus ipse tuus populus fuit Israel omnis ;
 4 conjugis ast facies fusca notata probe est.

5 Fusco igitur quam nunc vultu spectaris inique !
 6 An talem finxit mente manumque niger ?
 7 Scriptores inter te dia volumina primum,
 8 quo corpus fuerit cumque colore, locant.

IN IMAGINEM PICI MIRANDULAE COMITIS.

E_33 v.1 Picus gente : ast doctrina pietateque Phoenix,
 2 nulla tulere parem, saecula nulla ferent.

IN IMAGINEM... (lacune)

E_34 v.1 Turbator pacis sacrae simul atque profanae,
 2 effreni calamo pectore et ore furens,
 3 visus (lacune)iades) fuit isthac fronte feroci,
 4 cum traheret vulgus, magna (lacune), tuum.

IN IMAGINEM SAVONAROLAE EX PARTE COMBUSTAM.

E_35 v.1 Me vivum usserunt quondam Papae atque tyranni :
 2 quid feci ? Igne perit nunc et imago mea.

IN IMAGINEM JO. STUCKII.

E_36 v.1 Ingenio praecox, pars magnis rebus agendis,
 2 utrimque aeterna est gloria parta tibi.

IN IMAGINEM ANDREAE VESALII ANATOMICI.

E_37 v.1 Ante omnes juvenis genitos mirande Vesali,
 2 exsuperas cultri dexteritate tui.
 3 Quin aeterna tibi jam tum monumenta labore
 4 parta, scholae atque aulae conciliatus amor,
 5 invidiae felix potuisti spernere voces :
 6 saeviit, ast, in te quam Libitina nimis !

IN IMAGINEM GERARDI JOAN. VOSSII.

E_38 v.1 Grammaticum, qualem non tempora prisca dederunt
 2 te, Vossi, Latium et terra Pelasga colit.
 3 Historicus Criticusque bonus tum technicus auctor,
 4 cuncta haec et calamo tradis et ore simul.
 5 Ipsas historiae vatumque et rhetoris artes,
 6 quicquid et ingenium discere quemque decet,
 7 aut texit chartis Ecclesia sancta vetustis :
 8 mundum omnem aeterna haec per monumenta doces.
 9 Multa adeo quis vel temere tentaverit unus ?
 10 Tu vero his longe plura, Gerarde, notas.
 11 Quanta Palatinae sunt haec miracula terrae !
 12 Fallor, an ipsa negat se peperisse virum ?

IN IMAGINEM URBANI VIII. PONTIF. MAX.

E_39 v.1 Sede sacros inter prima me Roma beavit,
2 et blanda Urbani nomina ferre dedit.
3 Specter ut hic doctus, non sancta peritia fecit,
4 sum rudis : ore meo stet licet ipsa fides.
5 Non Themis aut Sophie favit, non arte Machaon,
6 Dircaea ast vatem me tamen aura levat.
